



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Militarivm Ordinvm Origines, Statvta, Symbola, Et Insignia, Iconibus, additis genuinis**

**Mennens, Frans**

**Maceratae, 1623**

Eqvitvm Christi Ordo apud Lusitanos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10718**

Benedictus XIII. & Martinus V. tabulis suis confirmarunt Censu isto Equites, etsi cæteris impares, virtute certè bellica aduersus Mauros littora Valentina infestantes, non inferiores existere, castitatemque omnes profectos ad sua vsque tempora adfirmat Hier. Romanus. Primusque qui illum infregit, fuit Cæsar Borgia Magister ordinis XI. Summis Pontificibus certas ob causas indulgentibus. Solet autem, vt idem Romanus ait, Magister Ordinis, decori, & prærogatiuæ augendæ: Crucem quidem rubeam in veste, sed maiorem certis ad brachia punctis distinctam: ipsum verò collegium in vexillis militaribus Cruces viridi nigroque colore exornatas præferre, etsi in clypeis aureis simplicem, & planam illam Crucem retinere conspiciatur.

Io. Azorius  
lib. 13. c. 3.  
4. 5.

Insignia  
Magistri  
Ordinis.

EQVITVM CHRISTI ORDO  
apud Lusitanos.



Dionysius cognomento Perioca Portugallie Rex, Alfonsi X. Castellæ Legionisque Regis nepos, nouam militiam De Portugallo vulgò nuncupatam, & cui à Christo nomen est, eoque regni hodie nobilissimam, & Cruce rubra alia candida interfecante distinctam, in atro amictu constituit. Ioannes verò XXII. Papa D. Benedicti regulam an. 1320. præscripsit, Legesque quibus sub Christo militare tenerentur, conditas,

Insigne Equitum Christi.

1320.

vulgari postea Lusitanorum lingua, cum reliquis ordinis priuilegijs edit Dominus Damianus Conuentus Tomariensis Prior & eiusdem ordinis Præfectus generalis. Primò autem Equitum Magistro Ægidio Martino, Auiforum quondam instituti militi ad Castrum Marinum. Eluenfis diocesis oppidum sedes attributa; exinde Tomarium migratum, militibusque omnia bona Templariorum nuper sublato annuente Rege, & Pontifice, quò liberius militiae Christi contra Mauros Beticam incolentes vacare possent cessere. Quorum incredibilem virtute factum, vt Lusitanorum imperium in Oriete fundatum, omnes prouinciæ, & oppida, tam in Asia, Africa, Brasilia, & alijs Occidentis partibus (quo nomine Reges Portugallie Sphæram in insignibus prætendunt, vt regnum suum in quatuor orbis angulos extendi significant) Christiano nomini acquisita, & huic ordini annexa, Magistri vectigal quotannis centum aureorum millibus auerent. Is quotiescunque ordo moderatore, & Præfecto careret, à tredecim præcipuis Equitibus electus cõscribendi, & exauctorandi milites facultatem habebat, quousque magisterium ordinis perpetuo iure ad ipsos Lusitanie Reges, & successores; adeoque ad ipsum Philippum III. Hispaniarum Regem aucturitate delatum. Militibus porro Alexandrum VI. P. M. potestatem ducendi uxores concessisse scribit Hieron. Conestagius in tractatu suo de Portugallie coniunctione cum regno Castellæ.

Hier. Osor.  
li. 1. de reb.  
Emanuel.

Phil. Bergom.  
li. 13.

MILITIA BANDA,  
& Scamæ apud Hispanos, &  
Calza apud Venetos.

Obtinuit, & olim mos in Hispania inter Equites tyrones vigilandi, antequam ad id dignitatis cooptarentur; vti testatur Hieronymus Romanus, de institutione militum Banda, ab Alfonso XI. Castellæ Rege

G in